

divinum passim appropriatur; Idem etiam omnes Prophe-  
tarum & Apostolorum testimonia comprobant, Act. X. 44.

§. XIII.

Ex quibus & aliis luculenter apparet (a) *Veritas incarn-*  
*nationis*, quod ὁμολογούμεως μέγα fit τῆς Ἐσβεσίας μουήρον I.  
Timoth III. 16. (b) *divina Natura quidditas*, quæ clare sa-  
tis ex ipsomet opere divino, quod est *Victoriosa capitis ser-*  
*pentini conculcatio*, in quo clare satis elucescit tum *divina*  
*bonitas*, erga peccatorem miserum a serpente seductum,  
atque deceptum, v. 13. tum *divina misericordia* erga mise-  
rum peccatorem damnatum, tum *divina omniscientia* quo-  
ad omnium fraudum & dolorum & *Labyrinthorum* serpen-  
tis innumerabilium notitiam, tum *divina potentia*, quoad  
omnipotentem serpentini Capitis, & omnium Diabolo-  
rum conculcationem & suppressionem, tum *divina mortis*  
*destructio*, quia per mortem suam Mulieris semen destruxit e-  
um, qui mortis habebat imperium, i. e. Satanam, Hebr. II. 14.  
tum *divina mortis extirpatio*, quia mors serpentis ratione me-  
riti vere dicitur absorpta in victoriam Messia & Seminis Mulie-  
ris, 1. Corintb. XV. 55. 56. &c. Hæc & alia Deitatis opera fir-  
miter & apodictice divinam essentiam, potentiam & ἐνέργειαν  
ostendunt & præsupponunt, cum omnis effectus a causa sua  
pendeat, eamq; necessario præsupponat. (c) *Humane nature*  
*seu quidditatis itenditas*, qua ratione veram proprie sic di-  
ctam *homogeneam*, & integram humanam naturam in Goelo  
nostro seu *Vindice consanguineo*, Gen. XLIX. 16. conspiciamus.  
Mulieris itidem natura peccaverat, peccati meritum sive sti-  
pendium videlicet mortem, Rom. VI. 23. juxta divinum *Senatus*  
*Consilium* Gen. II. 17. attraxerat, & omne malum contraxe-  
rat, & sic etiam in eadem natura, juxta divinam justitiam,  
satisfactio fieri debebat, cum certum sit, quod Mulier sit e-  
jusdem naturæ cum substantiali suo Semine, sicut etiam  
Mulie-